

Bibliothèque numérique

medic@

**Laubry, Jacques-Ambroise - candidat
/ Pluvinet, Bernard-Nicolas -
président. - An à matre foetus
sanguinem accipiat ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°142***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0142](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0142)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU. Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-quintâ
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXVII.*

M. BERNARDO-NICOLAO PLUVINET, Doctore Medico,
Præside.

An à matre foetus sanguinem accipiat?

I.

(ARS longa,) inquit Hippocrates Medicorum parens & decus. Universam
etenim amplectitur naturam, illiusque leges apprimè investigat Medi-
cina; eo tantum fine, ut corporis humani, præcipui naturæ ornamenti, amplior

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

& perfectior exurgat cognitio. Sed quam adhuc Manca, licet tot sæculorum experientia & observationibus dives! quam, parum certitudinis, circa œconomiam animalis leges! quot hujusce mirabilis machinæ, phenomena supersunt explicanda? quot functiones, quarum ratio nondum intelligitur? quot etiam, quarum à se invicem propulsæ ac deletæ corruunt explicationes? quænam nobis superest de illis sententia quæ ab aliâ futiori quidem, sed novissimâ, non potuerit profligari? quot, de modo, quo, cerebrum, nervi, ventriculus, variaque alia organa suo fungantur officio, systemata, ingeniosa quidem, sed tot mirandorum effectuum, arcanum minimè solventia.

Ast inter tot œconomiam animalis functiones, nulla certè, omnium ætatum Philosophorum ac Medicorum ingenia magis exercuit, nulla tot opinionibus, tot systematibus scatuit, quam illâ, quâ duorum ex animalium concursu, tertium evoluitur.

Quid etenim, de hâc mirandâ naturæ operatione, nobis innotuit certum? Tenebrosa adhuc sub caligine, generationis phœnomena obvolvuntur; feminis masculini natura & actio latent & forte semper latebunt. Microscopio armatus, innumeras in liquore feminali motu quodam spontaneo gaudentes particulas detegit oculus. Hinc varia caput erexere systemata. En vermiculi; en corpora suâ naturâ elastica, en moleculæ organicæ, prima vitæ hominis exordia. Sed quid de variis autorum opinionibus sentiendum? Ista-ne fœcundæ imaginationis somnia, generationis mysterium pandunt? Illis irridet natura; idem remanet dubium. Ea est enim humani ingenii imbecillitas, ut si ad dignoscendas explicandasque functiones occultas incubuerit, sæpe sæpius vanis deludatur systematibus. Minus autem ille à veri tramite aberrat, qui analogiâ duce experimentisque captis in animalibus, in quibus sese apertius exhibet natura; cognito alicujus functionis modo, ad functionem eandem hominis detegendam, utitur. Eâ lege prosequamur & inquiremus, quonam modo jamjam peracta conceptione, novi hominis foetus in utero alatur; quænam sit illius cum matre connexio; an à matre verum sanguinem accipiat?

TAM foecunda in entium totius orbis productione natura, in illorum reproductione eundem videtur quasi tenuisse modum.

Innumera etenim evincunt, cujuscunque animalis in ovo contineri primordia & vivipara animalia ab oviparis, in eo tantum differe, quod prima, incubatione internâ & novis succis nutritiis à matre continuo suppeditatis; alia vero, extra maternum sinum deposita, externâ, imo etiam artificiali tantum indigeant incubatione; ita ut nullum aliud uterum inter & externam ovi humani membranam nobis videatur existere commercium, quam intima & perfecta osculatio; cujus ope, villis ex omni superficie ovi exurgentibus, succus lymphatico-lacteus à materno separatus sanguine exfugitur. Isti vero flocculi villosi è tunicis ovi in uterum irradiati, plantæ ad instar radiculorum in terra vel in aqua dispersarum, vitam & pabulum exhauriunt. Pabulum autem istud in placentam delatum, proprioque cum sanguine permixtum, per venas umbilicales ad venam cavam deferitur, dein ad cor, ex quo ad omnes corporis partes, nutritionis ubique suppeditat materiem.

His autem viis à matre ad foetum & vice versâ, à foetu ad matrem sanguini transitus minime pater.

Hoc triplici modo probari posse videtur, 1°. exemplo avium, 2°. communi naturæ agendi ratione; 3°. observatione & experimentis.

1°. Exemplo avium. Maxima etenim aves inter & quadrupedes observatur analogia. Avium foetus in ovo extra maternum sinum deposito inclusus, nullam certè cum matre retinet connexionem, & nedum sanguine materno, ut partes in ovo latentes evolvantur, indigeat; maternus calor non etiam necessarius; artificialis tantum sufficit, ut embrionis sopiti novissima suscitetur vita. In ovo tamen, oculus etiam microscopio instructus vix punctum primas animalis lineas continens detegere valet. Alba tantum elucet molecula, in qua sanguinis globulus vel minimus nunquam potuit conspici. Undè non rationi absolum videtur, affir-

mare, in ovo formatum non existere sanguinem. Solo tamen calore etiam alieno, brevi scintillat vita, tremulus oritur motus, vi novâ conficitur sanguis, rutilante colore conspicuus, micat punctum saliens, foetus variâ expanduntur partes, & ruptis certum post tempus carceris mœnibus, in lucem pullus erumpit.

I I I.

COMPARATA anatome, variis experimentis in quadrupedibus & in homine observationibus institutis constat, quadrupedes ipsumque hominem sicut & aves ex ovis oriri.

Avium siquidem, quadrupedum & hominis partes generationis correspondentes comparentur, cuique attente perscrutanti, eodem modo, in utrisque perfici patebit, generationis opus.

In quocumque enim animali reperiuntur ovaria. In quadrupedibus, hominis ovario pene similia sunt. Suum habet testudo, avium ovario omnino simile (a), sic & rana (b), lacertus, vipera (c). Hinc apparet avium, quadrupedumque ovarium & hominis eidem usui destinatum à naturâ.

(a) Galfedi,
p. 56.
(b) P. 28.
(c) Charas.

Solertissimi præterea naturæ scrutatores, in omnibus fere animalibus, in iis etiam, quibus ovarium deficere videtur, ova vera reperierunt (d). In vaccâ, scilicet, ove, porco, etiam in mulâ (e) & in aliis pluribus.

(d) Graaf.
p. 181. Peyer
ad Muralt. p.
400.

Ova etiam existunt & deteguntur in homine. In texturâ enim ovarii cellulosâ, tanquam in nidulo racemata comprehenduntur. Ista ova cocta se extraxisse professor peritissimus (f) asserit.

(e) Graaf.
p. 183.

(f) Drelincourt.
fœmin.
ova. p. 67.

Non solum ergo probatum manet ova in fœmina existere, sed etiam iter, quo ovum de ovario ad uterum progreditur, eruditissimi detexerunt anatomici. Ovum ex ovarii rimâ prominens, è petiolo pendulum & jamjam à tubâ fallopianâ in variis animalibus deprehenderunt; in cane scilicet (g), in erinaceo (h). Vir denique, cui non recusanda fides (i), ovum in fœminâ conspexit, cujus pars in calice ovarii hærebat, altera vero, tubæ laciniis jam circumferebatur. Ova præterea non tantummodo in quadrupedum, sed etiam in tubis fœminarum (k)

(g) Wolk. jan.
obf. 46.

(h) Muralt.
(i) Littré,
hist. de 1706.

(k) Schuwig
& manget.

reperita fuisse confirmatur. Ex his certè analogia jam dicta patet, & nulla ni fallor, probata magis & plenior potest assignari.

Plura etenim animalia & vivos foetus simul & ova pariunt. Hujusce generis sunt, salamandra quæ in eodem ovario, ova & animalia viva gestat (l) Galeus qui partim oviparus partim viviparus (m), muscæ quædam (n), ita ut ovipara inter & vivipara fere medium teneant. Quid inde eruendum, nisi quod foetus isti, tum ex ovo, tum sine ovo orti, in matris sinu communi, eodem modo, eademque materiâ nutriebantur.

(l) Plin.

(m) Fabric.
form. ov. pag.
15.

(n) Geoff.
froy, Insect.
p. 496.

Varia vero partes foetus, in ipsius hominis ovariis reperiuntur primum conceptionis opus in ovario absolvi, invictè probant. Si fides maxima prædictis doctrinâ viris adhibeatur, hoc inconcussum remanebit. Frequenter, in ovariis non tantummodo molas carneas, cartilagineas, osseas & pilos, sed etiam dentes (o), & cum dentibus maxillam (p), imo integrum caput (q) reperierunt: unde licet autumare, in his antea foetus extitisse, quorum cæteræ partes deletæ fuerunt. Foetus quoque in tubis viventes & recte formatos detexerunt anatomici (r). Ipse ex tuba, matre superstitè excidit foetus *Solingen*. Isti autem foetus, jam figurati, & pene ut modo dictum est, perfecti, in ovario, in tubâ crescere nequeunt, nisi germen in ovo inclusum jam vitam adeptus sit; nisi jam partium, & organorum evolutio, ideoque nutritio incœperit: hæc autem nutritio absque vasis à matre continuis peragitur; nam si ovum villosis capillamentis faciei internæ tubarum adhæreret, nequaquam in uteri cavitatem propelli ac delabi posset. Ex his adamussim inducere fas est, vitam, nutritionemque fieri, primis in conceptionis temporibus, licet à matre ad fœtum nihil sanguinis transeat.

(o) Ruysch.

(p) Philos.
transf. no 303.

(q) Anc.
Mém. II, pag.
91.

(r) Vid.
Douglas, &
Sanctor.

I V.

AURA feminali foecundatum turgescit ovum, de ovario prominet; tuba musculosis rigescentibus simbriis apprime applicatis, ovarium amplectitur & premit, suum expandit os & ovum jam maturum, sensim ab ovario separatum, in canalem suum recipit, motuque propulsivo tubæ parietum in uterum

cavitatem devolvitur. Ibi liberum per indeterminatum tempus remanet ovum. Prima animalis in ovo contenta evolvi pergunt & expandi rudimenta; confectus vi foetus propria sanguis rutilans, in arterias à corde propellitur; contrahuntur arteriæ, ex alternis vero cordis & arteriarum contractionibus & dilationibus, pulcherrima affulget micatio. At nondum funiculus sanguine tingitur, nondum sanguinem ad placentam mittere cor valet.

Roralem interea lympham ex interiori uteri facie depluentem ovum poris quasi cæcis combibit. Illius explicantur tunicae, innumera ex illarum superficie villosa exsurgunt filamenta, plantæ ad instar quæ vel in ipsas petrarum rimulas, suas insinuat radículas, & unde crescat, humorem nutritium exlucit. Ratione non absimili, ex ovi tunicis exurgentiæ in vaginulas uteri capillamenta incidunt, radices figunt, tenuissimumque exhauriunt pabulum. Si sanguis maternus foetui ad nutritionem suppeditaretur, à solitâ agendi ratione discederet natura. Materies enim nutritionis oviparorum foetus in ovis, prorsus, ni fallimur à sanguine aliena. Nonne modò demonstratum fuit humani primordia foetus, in ovo etiam incrementi initium sumere? Sanguis præterea nutritioni minime per se idoneus est. Pars tantum lymphatica requiritur. Suum ipse sanguinem conficit foetus, cum profecto nihil nisi liquorem lymphatico-lacteum à matre excipit. Quare, novissimo proprioque refertus sanguine, alieno jam suis officiis pro parte functo indigeret? Nequaquam: omnino rationi absonum.

Quando errore naturæ, è solitâ viâ aberrantes foetus in ventrem delabuntur, quando hepatis insident, quando lumbis (f), quando diaphragmati inhaerent placenta, quando inter uterum & intestinum rectum (e), & nihilominus tamen semper vitâ fruuntur & crescunt; num tunc recte affirmari potest sanguinem per vasa continua ad placentam transire? nonne succi lactei fontem à matre suppeditari cautius asseritur? Nunc propositionis nova probatio eruenda venit ex placentæ structurâ.

(f) Hist. de l'Acad. 1716.

(e) Monconis.

V.

OMNIS placentaë massa, rotunda, spongiosa, sanguine referta, ex textûs cellulosi maximâ copiâ simul & textu vasculoso, omnino conflatur. Textus autem vasculosus ab innumeris exilissimisque venarum & artierarum funiculi umbilicalis divisionibus exurgit. Primis in temporibus vix è coeteris membranis distinguitur, duplici chorii involvitur membrana, vel potius ex ipso chorio exoritur. Pars est foetui propria, ab ejus vitâ ut coetera illius partes dependens. Convexa ejus facies, quæ ad uterum respicit, maximè inæqualis, in multiplices subrotundos omnino spongiosos lobulos dividitur, quorum quisque unius rami arteriosi ramificationibus efformari apparet (u).

(u) Rouhaute,
an. 1714, p.
141.

Membrana exterior chorii, placentaë lobos tegit & in rimas sequitur: at nullæ apparent viæ quibus sanguis ad placentaë commeari possit. Villi enim ex illius superficie emissi, exiliores sunt, ut partem rubram & globulosam sanguinis admittere valeant. Numquam hæc tenuissima filamenta sanguine colorata apparuerunt. Si liquorem injicias, nequaquam ex matre in foetum nec imo in placentaë penetrare poterit (x), sed in cellulosa telam circumfusam diffundetur, & vicissim, injectus à foetu liquor in uterum permeare nequit. Hinc nullam anastomosis, uteri inter & ovi vasa rubra existere patet. In viventibus animalibus, in extinctis prægnantibus ab utero absque minimo sanguinis effluxu placenta separatur. Secto funiculo, vix ab illo ex parte matris, femi-uncia sanguinis stillat, unde nequidem potest suspicari circulationem à matre ad foetum. Unde ligatio funiculi versus placentaë minimè necessaria. Ultimis gestationis diebus, gravis canis exhaustur sanguine, uterus aperiatur, vivos & plenos sanguine catellos reperies; licet, tempore aliquo à matris morte fiat experimentum. Mortuæ puerperæ aperiatur uterus, lactea adhuc pendentia quæ ante evulsionem, placentaë inferebantur vasa villosa conspicias (y). Placenta novissime extracta comprimatur, vix sanguinis elici gutta poterit, sed tantum succus albidus chylo similis stillabit.

(x) Levret,
p. 47, & vid.
Monro, Hoff.
& alios.

(y) Fizes.

Nostræ vero minimè adversatur sententiæ experimentum *Cowperi*, qui in arterias matris hypogastricas injectum hydrargirum in venas placenta transiisse testatur; nec experimentum *Vieussenii*, qui idem metallum per arterias injectum, in membranam allantoidem & per venam umbilicalem in foetum penetrasse vidit. Hydrargirum enim suâ summâ fluiditate, suâ divisibilitate, partiumque mobilitate, superficiei cutis, (ut notum est) appositum, ferè absque ullâ impulsione, corporis interiora permeat. Attamen poruli cutis, paribus vel minimis sanguinis nec etiam lymphæ, in statu naturali transitum nequaquam permittunt.

Si, ex analogiâ, si ex naturæ solitâ agendi ratione, si ratiocinio, si ex clarissimorum virorum experimentis, non à matre sanguinem, sed tantum succos albos alibiles foetui ministrari palam fecimus, concludere liceat.

Non ergo à matre fœtus sanguinem accipit.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. *Eduard. Franciscus-Maria BOSQUILLON*, Eques, & Societate Medicâ Edimburgensi, Professor & Censor Regius.

M. *Ludov.-Francisc.-Henricus MACQUART*.

M. *Joannes-Franciscus-Jacobus ROUSSILLE DE CHAMSERV*.

M. *Joannes-Jacobus PAULET*, Censor Regius, Academia Regalis Matritensis Socius, Scholarum Professor pro annis 1787-9 designatus.

M. *Sanctus-Lud. GUINDANT*, Censor Regius, & Regiâ Scientiarum Academiâ Monspeliansi.

M. *Claudius-Antonius CAILLE*, & Societate Medicâ Edimburgensi.

M. *Marinus-Jacobus-Clarus ROBERT*, S. Ducis Bignonini, dum viveret, Archiater, necnon à Consiliis & Secretis.

M. *Maximilianus-Josephus LEYS*.

M. *Joannes DESCOMET*, Censor Regius.

Proponebat Parisiis, *JACOBUS-AMBROSIUS LAUBRY*, Remus, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis *QUILLAU*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.